

Bei^{band} 2

H.1 S. 18

1240.

[48]

Der Propst Leo des Klosters Hilwartshausen befundet, daß sein Kloster Güter in Gotlevesen (bei Helmarshausen) mit dem Kloster Helmarshausen ausgetauscht hat gegen bestimmte Entschädigungen.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Leo, Dei gratia prepositus cenobii in Hildeverdeshusen, universis christifidelibus in perpetuum. Ordinationes temporum cum processu temporis evanescunt, si non scripti in unimine roborentur. Notum sit igitur omnibus tam presentibus quam futuris christifidelibus, quod concordi consilio et communis consensu tocius nostri capitulo spe melioris commutacionis bona, que ecclesia nostra habuit in villa Gotlovesen dicta cenobio de Helwardeshusen cooperante industria et labore domini Conradi eiusdem cenobii abbatis acceptis ab eodem et ab ecclesia quattuordecim marcis examinati argenti vendidimus tam in pratis quam in pascuis omnique iure, quo predicta bona perfueri poterunt et gaudere. Item septem mansos in Hesebeke pro sex marcis cum mancipiis et omni iure tam in pratis quam in pascuis, aquis eciam aquarumque decursibus necnon et silvis eadem bona contingentibus; item quandam partem silve in monte prope Muten, de qua inter nostram et Helmwardensem ecclesiam questio esse videbatur, in partem eiusdem empcionis fecimus devenire, quod si in posterum forte aliqui nomine heredum emerserint, nos vero warandiam prestamus et prestabimus eidem ecclesie, quod predicta bona, quanta sunt, tam in agris quam in silvis ipsi absque omni impedimento aliquorum heredum omnique iure alicuius advocati seu eciam omni gravamine cuiuslibet rei, que nomine ecclesie nostre poterit suboriri, libera contradimus et quieta. Ut autem huius facti series rata et illibata ad memoriam transeat posteriorum, presentem paginam conscribi et sigillo ecclesie nostre fecimus roborari. Huius rei testes sunt ex parte ecclesie nostre: Mathildis, priorissa, Gertrudis cameraria, Johannes presbyter frater noster. Thethardus et Ordmarus conversi fratres nostri; de utriusque parte Othrauarius prepositus Embicensis, Theodericus prepositus in Luppoldesberghe, Alexander prepositus de Anenberghe, Thidericus prepositus in Wizensteine, Otto prepositus de Winethe. Item testes de parte Helmwardensis ecclesie: Hartmannus decanus, Otto scholasticus, Hermannus hospitalarius, Ricbodo cellararius, Hemfrithus plebanus, Helmbertus de Exen, Ludolphus de Kaldenhove, Conradus et Reinboldus de Wilmersen, Thedericus de Hesebke, Henricus de Muten, Bartoldus iudex, Gerlacus, Thidericus, Henricus, Bertoldus consules de Helmwardeshusen et alii plures. Acta sunt hec publice anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo, inductione tercia decima.

Beglauigte Abschrift des Notars Tilemannus Rofes. 16. Jahrh.
Bergl. Pfaff, S. 130.